

ΣΤΕΦΑΝΙΣΚΙΟΝ.

AD SCOTIAE REGEM, HABITVM IN CORONATIONE REGINAE.

17. Maij. 1590.

Per Andream Meluinum.

PRO. 16. 13.

Iustitia stabilit thronum Regis.



EDINBVRGI

EXCVDEBAT ROBERTVS *Walde graue* AN. DOM. *1590.*

Cum priuilegio Regali.



Ad Regem

QVod feci dixique tuo, Rex inclyte, iussu,
 Ecce iubes volitet docta per ora virum,
Iussisti quod here, egi hodie: cras ibit in orbem?
 Et properatum adeo præcipitabis opus?
Præcipita. per me ire licet quo authore volasti
 Trans mare. Sors eadem sors erit: vrget amor.





ΣΤΗΦΑΝΙΣΚΙΟΝ.

AD SCOTIAE REGEM, HABITVM IN CORONATIONE REGINAE.

QVà regnum quis rectà adeat, quo iuſta regantur
Sceptra modo, quæ pacem artes, quæ bella gu-
Nunc canerem: nî me terreret limine in ipſo (bernent,
Argumentum ingens: & onus ceruicibus impar.
Quanquam ô ſi noſtrum annuerit mihi numen amicum
Suſcipiam hiſce humeris: & me labor iſte iuuabit
Cunctantem: & rerum iniuſto ſub faſce labantem.
Quippe ego, cui nec parua queunt, & magna recuſant
Ferre humeri, indubitem ne meis, ſi numen amicum,
Viribus? & tanto ceßabo hoc cardine rerum?
Non ita me ſanctæ primis docuere ſub annis
Pierides. Audendum adeo: & præludia parua
Tanti operis tentanda mihi. Si carmina Regi
Noſtra placent, pergendum etiam tanto auſpice Rege,
Et regis cæleſtis ope. Ergo ô maxime regum,
Cælicolûm rex alme, tuo qui numine reges
Das regnis haud indecores: & regibus addis
Inclyta regna bonus: rerum & ſucceßibus auges:

Atq; alios contra, haud nequicqam iratus, auito
Exturbas solio, dum recti in lancibus æquis
Fas versum atq; nefas æquato examine pensas:
Te veniam, te pacem oro tam grandibus ausis:
Et velis mare tranquillum, et tractabile cælum
Sulcanti remis regni imperiosius æquor.
Da remos et vela rati: da stringere littus,
Extremamq; oram, et scopulos uitare sonantes.
Adspira facilemq; auram, lucemq; serenam,
Donec læta suo condatur cymbula portu.
Tuq; adeo, quem septem arceis et mænia Romæ
Iam dirum hostem horrent, fataliaq; arma tremiscunt,
Ferguso generate, poli certissima proles:
Quot reges tulit olim orbis quot regna Britannus,
Tot regnis augende hæres, tot regibus orte,
Tot reges geniture olim fælicibus astris
Lætus in optatæ sanctis amplexibus Annæ.
Annæ, cuius amor te tot vada cerula mensum,
Tot scopulos, tot præruptas saxa ardua rupes,
Tantam Hyemem, tot fœta feris et inhospita tesqua
Raptauit, gelidisq; morantem distulit oris,
Quam procul à patria, ac populo regnisq; relictis
Tam proprior Phœbo, Musis lucem annue nostris
Dum canimus decus omne tuum, decus omne tuorum
Rex IACOBE, *decus Musarum et Apollinis ingens.*
Amplum, augustum, ingens decus alta ab sede veren-
Omnibus vnum alijs dare iussa, imponere leges, (dum)
Et maria et terras et pacem et bella tueri.
Tam laus digna Deo, quam diuinæ æmula laudis
Fraudem arcere bonis: cladem importare profanis:

Et

Et sanctos seruare tuo sub numine. Sed quò
Maior honos, hoc maius onus. Res ardua quàm sit
Regnare, et sceptris gentes frænare superbas
Cum ratio tum exempla docent. Illam inspicis? arte
Quâ fàs, quantâ mole coerceri à capite vno
Tot capita? ac vulgum infrænem discordibus armis
Atq; animis, numeroque ferocem et viribus acrem
In gyrum rationis agi, cogiq; sub orbem
Imperij iurisque manu, legisque flagello:
Ferre iugum, frænosque pati et mansuescere habena?
Exemplis te facta mouent? volue atq; reuolue
Aeui omnis memores longis anfractibus annos,
Omnia regna, omnes longo demùm ordine reges:
Quam paucos tandem inuenias, qui munere tanto
Defuncti cum laude, omni sine labe reperti:
Qui meriti nomen Regis, vel nominis vmbram.
Fama est Regem Asiæ quondam dixisse potentem
Vnà omnes inscribi vno posse annulo, et vnâ
Includi gemma, fuluum quæ diuidit aurum.
Vndoso hoc cursum in pelago rectum vsque tenere,
Per breuia & Syrtes, cæcasq; sub æquore cautes,
Pene nefas, nî multa ratem firma anchora fundet
Virtus: & varios rerum experientia ventos
Exploret: fluctúsque feros clementia cæli
Mulcere, & clarum puppi prætendere lumen
Alma velit: clauumque regat, velisq; ministret.
Tantæ molis opus regnandi innare per æquor.
Vis arcana tamen naturæ, et conscia fati
Semina, scintillæque nouus quibus emicat ignis
Lucis inardescens radijs genitalibus almæ

Nunc

Nunc reliquis, nec prorsum alta caligine mersis
Succendunt ardore nouo mortalia corda.
Hinc flammata virûm vis densa per ardua rerum
Fertur ouans: Regumque sibi deposcit honores.
Quin facilis pro laude labor. Leuat alta laborem
Gloria, celsi animi pennis sublimibus apta.
Quid studium humani generis? quid viuida virtus
Ignauæ impatiens vmbræ atque ignobilis otI?
Quid proaui? quid Sanguis? amor quid coniugis aureæ?
Et dulces nimium dilecta è coniuge nati:
Et prædulce decus patriæ: populiq; patrumq;
Vel bello quærenda salus, per mille pericla,
Mille neces, & morte ipsa quod durius vsquàm est.?
Quo patriæ non raptet amor cælestis & aulæ
Aetheriæ, æterna Regem quæ luce coronat?
Quo summi genitoris honos? quo gloria nati?
Quæ rapere vna potest humiles super æthera mentes
Sidereo inuectas curru & cælestibus alis:
Queis pietas petit astra, viamq; affectat Olympo.
Nos etiam quot, quanta trahunt? ô quam sumus vna
Coniuncti qui regnamur cum Rege catena?
Virtutis secat ille viam dux præuius? vltrô
Nos comites. Fertur preceps per deuia? iam nos
Præcipites. Vernat Zephyris felicibus? & nos
Floremus. Lapsum vrget hyems? nos flore caduci
Defluimus, ruimusq;. Ita nodo adstringimur arcto
Deuincti: commune bonum, commune periclum.
Qualis ab ætherio Phœbus molitur Olympo
Siue poli pulsu celeres, seu sponte quadrigas
Nunc reuehens cum luce diem, nunc noctis opacas

Obdu-

Obducens tenebras mortali rebus in orbe:
Talis agens celsa princeps Sublimis ab aula
Seu procerum impulsu, seu sponte volubilis, infert
Lætitiæ lucem populo, luctusq́ue tenebras:
Et recti prauiq́ue vices: luxumq́ue modumq́ue.
Quisquis es ergò hominum qui rex moliris habenas,
Seu lectus magno è populo, seu natus auito
In solio, vel lege noua, vel more vetusto
Sortitus sceptriq́ue decus regniq́ue coronam,
Huc aures aduerte: et conde hæc sensibus imis
Quæ dicam. Mea dicta ferent, mihi crede, salutem.
* Quam magis haud cogi in regno, optandum atq́ue beatũ, "
* Tam magis haud suaderi etiam miserum et fugiendũ. "
Est lapis ardenti quondam fornace recoctus,
Algidus intantum exterior, quantum intimus ardet:
Cui nomen calx viua. Latex si depluit vndæ
Hunc super, ignem intus latitantem frigidus imber
Irritat: citus ecce foras ruit ardor anhelans,
Atque æstu flagrante vomens incendia circum
Cum fumo crepituq́ue & tetro infamis odore.
Haud aliter, si magna licet componere paruis,
Quæ Phlegetontæis animorum incocta caminis
Saxea dutrities, vitiorum & pasta sub artus
Flamma nocens, et auara auri, regniq́ue cupidò,
Atq́ue iræ, atq́ue odii, venerisq́ue gulæque libido
Condita visceribus, cæcisq́ue inclusa cauernis
Delitet: vt regni illecebris ros impluit aulæ
Blandior: & Regi cum fulmine Legis ad aures
Vox tonat: effracta cito nube erumpit in auras,
Et fœdam glomerat tempestatem ignibus atris

Fumi-

Fumiferam inuoluens noctem: vastoq́ fragore
Regna ruens sordentem exhalat in astra Mephitim.
Mota adeo Camarina furit graueolentis Auerni.
Dat strepitum longè applaudens stygij aula Tyranni.
At cœlum latè circum rubet omne pudore.
Quare ea dicta caue sanctas demittere in aures
Palponum quæ turba canit: quod degitur æui
Dulce venenum, aulæque omnis: stygio orta profundo
„ Hetrusca de peste lues: extráque supráque
„ Esse fori pilas, legum & tabularia Regem.
„ Stat regi, vt regni Domino, pro lege voluntas.
Talia dicta vomit diris è faucibus Orcus:
Inficit aulam omnem: insinuat se in pectora Regum.
Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis
Omnipotens: hæc dira meo fac vulnere pestis
Pulsa cadat: regumq́ aulas & limina linquat.
Imperet hic seruis tantùm? Rex ergo Tyrannus,
An patriæ pater? an custos populiq́ patrumq́?
An iuris legumq́ sacer sanctúsque minister?
Hoc, quo quisque Deo se rex gerit ipse minorem,
Hoc, Deus est: aut viua Dei viuentis imago:
Cui bellare nefas: cui fas parere: potestas
Seruire est: * Regnatque, Deo regnata voluntas:
Cuius, & æqui omnis rectiq́ est norma, voluntas.
Est pecus, est peior pecude, est fera bellua soli
Qui sibi se natum credit: qui non nisi in ipso
Cogitat imperium imperio: qui deniq́ secum
Non putat ipse datum se ciuibus: at sibi ciues.
Nonne est donô hominum & diuino munere, Reges
In vestrum collata sinum Respublica, non vt

Lactetis

*Lactetis ſpe vana, at eam fouetis alumni?
Nonne præeſt populo Princeps, non Principis ergò,
Sed populi? populiquè ſalus lex aurea Regi?
Aurea quæ ſummo collucent ſidera cælo
Luminis alma ſui indulgent mortalibus auram:
Qui regno inlucent reges, clariſſima mundi
Lumina, ſi lucem officio, ſi laude tuentur,
Nonne ſuo accendant nobis de lumine lumen?
Ac veluti in mare veliuolum vaga flumina curſu
Præcipitant, repetuntque ſuos verſo agmine fontes
Omnia ſub magna retro labentia terra.
Haud ſecus ad regem refuga redit acta recurſu
Gratia larga, ſuo quam Rex de fonte profundit
In populum: quaque imperij rigat arua beata.
O præſtantem animi, magnæ nec mentis egentem,
Et nimium fælicem illum: qui in culmine ſummo
Rerum, audire bonus mavult quam magnus: & in quo
Maieſtate modus, ſceptriſque modeſtia creuit.
Quem populus proceréſque orientem et luce nitentem,
Quale Iubar Phœbi aut radiati numinis inſtar,
Adſpiciunt certatim omnes medij inter amorem
Atque metum: alterniſque animis atque ore ſalutent
Ambigui patremne bonum, regemne ſeuerum.
Hic præclarus honos. Hæc Regum turris ahena:
Quò vos nunc humana vocant, diuináque iura:
Et ſenſus ſapientum omnis, qui legibus orbem
Fundarunt: qui rexerunt: qui voce magiſtra
Quique manu docuere artes, morémque regendi.
Cura poli populique ſalus, ius normáque regni,
Laus ſceptri, lux imperij, flos ipſe coronæ,*

Quam vobis seruet florentem, atque vbere largo
Eximios fœtúsque diu fructúsque ferentem
Iustitiæque piæ, & iustæ pietatis, & omnis
Officij, quod mox sanctæ virtutis amara
Pullulet ab radice tibi densissima sylua
Rex IACOBE, tibi Regina ab suauibus ANNA
Floribus, & sancta faciat vos prole parentes,
(Quæ regat immensum Christi sub legibus orbem)
Rex Regum, Diuûm Dominus, Deus ille Deorum.
Christiadûm genitor, Rex omnipotentis Olympi.
Longè clara tui splendescat nominis aura:
Latè sceptra tui pateant cælestia regni:
Sic terra vt cælo fiat tua sancta voluntas.
Nobis nostrum hodie da victum & commoda vitæ.
Da tabulas, nullo ære, nouas. Nam nos damus vltrò.
Et ne nos prædæ exponas: sed libera ab hoste.
Nam regnum, roburque tuum, & decus omne per æuum
(est.

FINIS.

